

Istuc edepol dixi etiam vostro prudenti viro.
 Bo. Eius responcionem audire velim lubentissime.
 RE. Nihil respondit. Defixis eum intuebar oculis;
 Rubore perfusus adspectum ferre non poterat.
 Tum verbis illum sic acerbis castigaveram:
 «Viri nimis scholastici non possunt illici;
 Idcirco mundum tantopere diligis, ut a tua patria
 Pulcre recedas. Non es alias, nisi simulator malus».
 Bo. Quid ille respondit? — RE. Nihil; stridebat dentibus.
 Eumne tu defendis? Voltus rubore perfusus tuos
 Palam, Bodostor, nunc ostendit dedecus viri,
 Statim qui ad unumquodque lumen cupit calescere.
 Eum reliqui frigidus, at dextram porrigo tibi.
 Bo. Etiam hostem oportet amari atque aestumarier.

SCENA III.

REGULUS, BODOSTOR, MICHO, POPULUS.


Po. Illum hic manere oportet; confirma te. — RE. Qui istic clamor est?
 Mi. Adest Atilia, loquier cupid cum Regulo.
 RE. Hoc non licet; eam nolo videre rursus amplius.
 Nuntia meam ei salutem et dic sis acerbum fore
 Valere nos iubere. — Bo. I Micho, intro veniat Atilia.
 RE. Ohe, dudum modo manum porrexi Bodostori.
 Bo. Officium iubet. Micho ne cesses. — RE. O di!
 Firmate me, ut istanc ferre tentationem queam.

SCENA IV.

ATILIA, REGULUS, BODOSTOR.

At. Ubi est ille? Em adest incurvatus fortunae iniuriis,
 Canus, senilis. Contine te sis nunc, cor meum.
 Heus Regule, non cognoscis verba sociae tui tori?
 Ego sum Atilia; quid istuc est negoti, Regule?
 Non porrigis mihi dextram? tergumne convertis mihi?
 Hei taces? O terribilis atque intolerabilis
 Contemptio! Ecator istuc ego non merui.
 RE. Solvis linguam mihi, quom multo satius fuat
 Nos inter nos una nunquam loquier amplius.
 Namque absenti caremus nos amico facilius;
 A praesenti modo per vim diduci possumus;
 Quare russum recrudescent iam nostra volnera.
 Tibi optabam, quod valde temet amo, parcere,

(Ad proximum numerum)





Pauca exemplaria supersunt

JOSEPHI FORNARI operis, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

FRIDIANUS-FRANCISCVLI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVI, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarium 550 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1100, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXIV

Romae, Mense Julio MCMXXXVII

Fasc. VII

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequias; ante solvendum rectoque trahendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, *Via del Governo Vecchio, 96* sive ad *Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano*.

De Leonardii Vincii Anatome¹

Viri Clarissimi!

Honori summo mihi esse fateor, quod coram Vobis, in quarto hoc foederativo internationali Anatomicorum Conventu, Leonardii Vincii chiographorum perhumili studioso mihi, de Eius Anatome disserere datur. De qua ergo universam epitomen Vobis summatis exhibitus sum.

De reliquis disciplinis atque artibus Leonardum persaepe Anatomen coluisse, inter omnes constat.

In dubium a quodam vocatum est, an Leonardus sua manu cadavera incidisset, qui contra cadaveribus illis usus esset, quae prius chirurgi dissecuissent. Quod re vera neque a vitae Eius scriptoribus traditur, neque ex documentis colligitur. Nam si per breve illud temporis spatium praeteribimus, quo Ille, una cum MARCO ANTONIO TURRIANO Professore, Papiae anatomicis investigationibus incubuerat, nullo ceterum externo auxilio Leonardum usum esse inferre licet. Scribit enim Ille in chartis suis: «Corpora humana supra decem dissolvi» (*ho disfatto più di dieci corpi umani*);

atque ulterius: «ipse illius Anatomen feci» (*io ne feci notomia*), et fidelissime, tamquam plane expertus, incommoda describit, quae Anatomici muneri inhaerent. Quumque Romam denique Leonardus se contulisset, nonne Leo decimus Papa accessum ad nosocomium Sancti Spiritus Illi defenderat hac de causa, quod cadavera dissecando violasset? Nullum ergo dubium quin Leonardus sua manu cadavera incidere consuevisset.

Organa, vel singula, vel congregata, ex variis lateribus prospecta et interdum etiam incisione aperta, modo affabre, modo crasse tantum, Leonardus manu sua laeva artificiosa delinearat atque notis illustrarat; descriptio vero anatomica plerumque paucis absolvebatur, linearis enim organorum adumbratio ad hoc satis erat, dum eorum «usum» sive «utilitatem» (re vera «functionem») acute investigare Ipse studuerat, ad quod demonstrandum schemata interdum addiderat, saepe mathesi fretus.

Pauca organa, ut glandulae salivales, pancreas, corpora suprarenalia, prostata, auris media et interna, Illi latuisse videntur, dum organa quaedam, quae temporibus posteris illustrata sunt, iam Leonardus saltem delinearat, ut exempli gratia tubas uterinas, quas dein FALLOPIUS descripsit; uterum humanum non bicor-

¹ Oratio habita in Mediolanensi conventu legatorum omnium nationum de anatome.

nem, quem talem non esse praesertim VESALIUS statuit; sinum maxillarem, qui adhuc ex HIGMORE anglo nuncupatur; nodulos velorum semilunarium cordis, quos serius ARANTIUS deprehendit, nec non cordis ipsius trabeculam septomarginalem, quae nunc ex Leonardo Vinci eodem appellatur.

Neque Embryologiae principia neglexit, fetumque humanum in utero fideliter secundum naturam delineavit.

Inter anatomicas investigationes sine incisione illae numerandae sunt, quae ad Canonem symmetriae corporis humani spectant.

Methodos novas in anatomicis inquisitionibus etiam Leonardus excogitavit ac repperit; scilicet sectiones perpendiculares partium quarumdam corporis humani, ut organa interiora manifesta pateant, atque praesertim, ut oculi interna structura demonstretur, sectio illius antea in albumine inclusa atque una cum hoc per coctionem consolidato, ut massa haec solida facilius secari possit; dein methodum, qua ventriculorum cerebralium conflatura efficitur; musculos longos filo metallico subrogatos ut eorum functio facilius demonstretur.

Neque animalium brutorum quorumdam Anatomen neglexit, cum humana saepe comparatam.

Cuius universae Anatomies, libros centum et viginti Leonardus se composuisse vel compositurum esse scripsit: qui libri (re vera « capita ») tamen, etsi compositi, non superfuerunt, atque folia anatomica, saltem partim, ut studiorum illorum testimonium, ad nos tantum pervenerunt.

Quae folia anatomica in museo britanico Windsor ut codices nunc praesertim servantur, atque iam prius a I. P. RICHTER apud Anglos in epitomen coacta edita, nuper integrè vulgata sunt, partim apud Gallos atque apud nos, I. PIUMATI nostro curante (*Dell'Anatomia Fogli A-B*), partim apud Norvegicos, WANGENSTEN, Fo-

NAHN et HOPSTOCK professoribus curantibus (*Quaderni d'Anatomia I-IV*). Folia anatomica Vinciana alia adsunt, ut folium musei ad castellum Weimar, quod nuperime AEM. MÖLLER apud nos in lucem edidit atque ad quod divulgandum egomet quoque contuli; huiusmodi folia inter illa codicum quorumdam ad alias disciplinas spectantium praeterea reperiri possunt.

De Anatome Leonardi Vinci complures scripsimus; de ipsa autem generatim nonnulli Auctores, ac nuperime apud Americanos septentrionales I. PLAYFAIR MC MURRICH professor.

Collegae Anatomici clarissimi totius orbis terrarum!

Disciplinarum et artium multitudinis causa, quas egregie coluit, re vera Leonardus noster « universalis » cognomine insigniri meret. Et quod inter illas, quas Ipse praesertim coluit, doctrina nostra numeratur, ita ut huius historia tanto nomine honorari possit, hoc ut novum Anatomes dignitatis ac nobilitatis testimonium habeatur.

JOSEPHUS FAVARO,
Anatomus Professor in athenaeo Mutinensi.

ALCHYMIA ET ALCHYMISTAE

Cham, qui et Chamos, a priscis traditur Aegyptiorum pater; hinc saepe in sacris litteris Aegyptus et quae circa late regiones « terra Cham » appellantur. At, haud multo post obitum huius protoparentis, eum nepotes et posteri quasi Deum coluerunt, et simulacrum constituerunt in templo, idolumque vocaverunt « Chamos ». Qui sacerdotes huic Numini serviebant doctrinas coluerunt a Noetica domo defluentes, propterea quod, quum in illis excellerent, scientiam hanc ipsam dicere placuit *Chamiam*, seu *Chimiam*, cui voci addita syllaba *el*, seu *al* (idem enim sonat ex *aleph*), indicavit scientiam divinam Cham, seu

Chamos, uno nomine: *Alchymia*. Qui vero consideraverint apud sacerdotes, delubraque fuisse tunc temporis medendi omnem artem, fuisse et remediorum dispensationem, habebunt integrum, meo iudicio, causam, qua vel nunc pharmacopolea apud gentes nonnullas « Chemistae », et « Chemistes » nuncupentur, quum et « Alchymistae » nominati sint illi, qui disciplinis naturalibus, dicam rectius, qui viribus naturalibus occultis freti, et posse mirabilia facere iactabant, et fortasse nonnulla mirabilia patabant.

Notabo insuper scientiam duplex invisse iter duas inter gentes, Chaldaeas nempe et Aegyptias. Illa se astris inspiciendis praesertim addixit, Aegyptia vero naturalibus praesertim rebus, quae propter solum sunt, neque tamen astronomica reliquerunt inulta; nam scimus quid adstruxissent Aegyptii de Sothiaco anno usque ad Ptolemaeum illum, qui absolutum quoddam systema astronomicum finxit, stellas catalogo descripsit, pluraque confecit, ex quibus aeternam sibi famam et recordationem comparavit.

Quidquid est, in humanis rebus eadem contingunt, quae in fluminibus videmus accidere. Pellucidae lymphae primo e fonte erumpunt, purissimaeque bibuntur. Eadem longo decursu, sive quod terras erodant et sabulis, arenis, crassique soli partibus imbuantur, sive quod minime puris admisceantur rivulis, et foeditate contaminatis aliqua fontibus copulentur, nitorem pristinum amittunt, turbidae fiunt, et qui Tigris, qui Anio septifons purissimi sunt, iidem postea vel viridescentes, vel albicantes, vel flavi apparent. Sic humana omnia, a philosophicis disciplinis exordior ad artes, quae initio bona, recta, rationabilia traduntur et coluntur, ubi, per discipulos, ad tertiam aetatem, vel quartam pervenerint, sive malitia, sive ambitione mala, sive nescio qua caecitate sequentium, ita in excessus abeunt plerumque contrarios, ut non

facile credas utramque scholam et disciplinam una exortam esse ab origine. Quid inter Iudeos hodiernos, Mahumetanos et Christianos nunc est? Et ab una Abrahami domo tamen tres sunt. Quid, nisi hoc sanctissimae comprobarent historiae? Laboraret profecto traditionum fides ut fuisse tales crederemus. Neque aliter ea disciplina se gessit, quae in sacrariis, coenobiiisque Chamos tradebatur, et fortasse tunc ambitiosum superbissimumque illud *al sibi adscivit, copulavit, praefixit*, ut haberetur divina, quando, divinitate, scilicet veritate, abdicata et repudiata, conversa est ad fabulas, et posse se dixit quae impossibilia rebantur. Haud aliter apud Graecos tunc, *σοφία* quae primum *φιλοσοφία*, id est sapientiae desiderium et amor et studium, dici coepit, quando, superbia sternente iter hominibus, non hi scientiae studebant, sed proprio nomini, qui communi refugiebant a scientia, ne ceteris haberentur aequales.

Itaque sacerdotes illi Chamistae postquam plura incubuere in remedia, quibus morbi arcerentur, plura experientes, vix nova febrium terris cohors incubuit suis, ubi invenerunt medelam, qua pestes dimoverentur, iure quidem sanctissimo, ea quae siverunt, quae corpora humana a mortorum incursu et impetu conservarent immunita: non enim tam iucundum est a damno revalescere, quam nullum in detrimentum incidere. Hinc ea medicinae pars venit, et sponte venit, quae incolumes faceret homines, quae vires non modo restauraret amissas, vel debilitatas, vel fractas, sed eas ita statueret, ut integrae starent, et quassari non possent, aut saltem labantes et fatiscentes non apparerent. Inde fuerunt omnia faciei medicamina, quorum usus praesertim apud pecuniosas invaluit foeminas, hinc aphrodisiaca omnia; ne prodigiaris oro, candide lector, nam limina mortis patent, et venena ex herbis quaeruntur, et statuto lunae tempore quaerun-

tur, et certis sub invocationibus, inconditisque vocibus avelluntur. Quid si admisceatur tabum e cadavere? Quid si puer fame conficiatur semisepultus, ut inde gutta mortifera arido extrahatur a corpusculo? Habes iam omnia deliramenta sagarum, habes quae misceant aconita novercae, habes quae Locustae Neronibus comparent.

At dum haec labuntur in peius, non defuere viri, et erudit et a sceleribus longe abhorrentes, quibus ex mixtione elementorum, ex coacervatione quarumdam rerum, ex repetitis conatibus nonnulla apparuere mirabilia, et haec sunt sequuti, dum plerique aut nimiam in spem crescentes, aut desiderio divitiarum contabescentes de transfigurandis corporibus, de commutandis cogitant. Duo tamen humanum genus, prouti antea, prouti nunc etiam, torquebant: auri sacra fames; desiderium iuventutis aeternae. In haec invenienda incubuerunt; hi dum Indiam quaerunt in Americam incurruunt; illi dum se habere utrumque fatentur, fraudes adstruunt, et alieno auro potiuntur. Primum illud pharmacum *lapis philosophicus* dicebatur, quem qui ferret nunquam senesceret, incolumis a ferro, a veneno, ab insidiis abiret, secreta omnia nosceret; alterum, scilicet commixtio quaedam et proportio metallorum et rerum, quae torrente igne commutarentur in aurum, quadam ex parte cum lapide illo philosophico conveniebat, quadam vero ex parte cum scientia naturalium rerum et consideratione stellarum inclinantum, vel coeuntium, ut opus conficeretur.

Atque hic novus alchymistarum modus, nova conditio alchymistarum habetur. Ipse enim eodem tempore est quid necessarium apud singulos reges, principes, dynastas; regia nulla, arx nulla est, quae ipso carere possit; datur sapienti viro domus singularis, turrim habet a qua speculetur astra, servos habet audientes dicto qui herbas, qui aquas, qui fructus quaerant, et affarent singulares. Ipsi de praenoscendis pro-

cellis, de terraemotibus, de fulminibus, de turbinibus cura est; ipse tuebitur domini salutem, dominae pulchritudinem, pharmaca suppeditabit utriusque opportuna; quinimo et potentissima venena, si dominii leges talia tulissent. Quid sit alchymia quaeris? Haec de re tradit Ioannes Baptista Birelli Cosmae Mediceo: «Alchymia est ars, quae humanos opibus propemodum infinitis ditat, quae philosophia iure dicitur, laetitia animorum, angelicae splendor sapientiae, medicinae mater, philosophorum desiderium, thesaurus inexplebilis, exterminatrix moeroris, virtutis comes. Laetificat iustos, cum bonis habitat, detestatur improbos et scelestos. Super omnibus regnis regina, virtutem ex herbis exprimit, et medicinae per distillationem tradit essentias, omnesque artes iuvat, et ab ignorantia relevat, praecepsis divini Hermetis, (qui Aegyptius est!). Post haec enarrat quae alchymistae clarissimi fecerint, qui alchymiae praecepsis usi, metalla quomodo purgarentur, invenerunt, qui vini essentiam (*alcool*), Raymundo Lullio faciente, invenerunt, quo ferme mortuis vita redditur (atque hinc et apud nos *Acquavite* = aqua vitae vocatur), qui aurum potabile, alexipharmacum princeps et *nepente* singulare confecerunt. Prosequitur inde enumerans lithargiria, praecipitatum, «sublimatum», et sexcenta, quae nemo quidem negabit. Addemus et nos Brandt Hamburgensem invenisse phosphorum, Schwartz pulverem pyricam... Et sic de pluribus.

Quid inde? Ab alchymia, quae primum recta, veraxque fuerat, et circa sananda corpora, vel tuendam incolumitatem et iuuentutem, et vires, et pulchritudinem versabatur, alchymia illa mendax, et fraudis plena et beneficii nata est. At nemo negabit etiam inde natam alchymiam, quae rerum vestigans elementa, plurima tentans, illa adinvenit quae nemo sperabat, quaeque nunc alchymiam ipsam ad sua reportarunt exordia, qua usi docti viri, plurima generi

humano constituerunt, quibus nunc augentur artes, divitiaeque comparantur, quum nullae penitus modo sint artes, quibus chymica vires non suppeditet suas.

P. d. V.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS

De coniunctivo absoluto.

a) Coniunctivus potentialis exprimit actionem fieri posse.

EXEMPLA: Quis, talia fando, *temperet* a lacrymis? (VERG., Aen., II, 8) — Quid domini *faciant*, audent quum talia fures? (VERG., Ecl., III, 16) — Eum nec nimis valde unquam, nec nimis saepe *laudaveris* (CIC., Leg., III, 1) — Bruti ego iudicium, pace tua *dixerim*, longe antepono tuo (CIC., Tusc., V, 5) — Ego te videre *noluerim*? (CIC., Ad Quint. fr., I, 3) — Forsitan *quaeratis* qui iste terror sit (CIC., Rosc. Amer., 2) — De grege non *ausim* quidquam deponere tecum (VERG., Ecl., III, 32) — Tu, Rulle, non *definias* quot colonias, in quae loca deduci velis? Tu *occupes* locum quem idoneum ad vim tuam iudicaris? *compleas* numero? *confirmes* praesidio quo velis? populi Romani vectigalibus atque omnibus copiis ipsum populum Romanum *coerceas*, *opprimas*, *redigas* in istam decemviralem ditionem ac potestatem? (CIC., Agr., II, 27) — Quis mihi iure *succenseat*? (CIC.) — Hos eosdem motus perturbationes *dixerimus* (CIC.) — Cur non *confitear* quod necesse est? (CIC.) — Quis non *admiretur* splendorem pulchritudinemque virtutis? (CIC., Off., II, 10) — Non historia *cesserim* Graecis nec opponere Thucydidi Sallustium *vereat* (QUINT.) — Quis, receptui canente senatu, *properet* dimicare? (CIC.) — Vix *credas* quantum errori pateat homo (SEN.)

— Hanc modestiam, aequitatemque et altitudinem animi ubi nunc in uno *inveneris* quae tum populi universi fuit? (TIT. Liv., IV, 6). — Quis eum *diligat* quem metuit, aut eum a quo se metui putat? (CIC., An., 15) — Quid igitur *timeam*, si post mortem beatus futurus sum? (CIC., Sen., 19) — Quid hoc homine *faciatis*, iudices? Aut ad quam spem tam perfidiosum, tam importunum animal *reservatis*? (CIC., Verr., II, 1, 16).

b) Coniunctivus optativus optat ut actio fiat.

EXEMPLA: Ego vero, Servi, *vellem* in meo gravissimo casu affuisse (CIC., Fam., IV, 6) — Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus *ostendat* nemore in tanto! (VERG., Aen., VI, 187) — Sic te diva potens Cyperi, sic fratres Helenae, lucida sidera, ventorumque *regat* pater, o navis quae tibi creditum debes Vergilium (HOR., Od., I, 3) — Dii illum male *perdant*, animo magis quam conditione mancipium! (SEN., Fr., III, 14) — Unum mihi restabat illud, quod forsitan non nemo vir fortis, et acris animi magnique dixerit: *restitisses*, *repugnasses*, mortem pugnans *oppetisses* (CIC., Sext., 20) — Utinam ego vobis tertius amicus *adscriberer*! (CIC.) — Utinam omnes M. Lepidus servare *potuisset*! (CIC.) — Quod dili omen *avertant*! (CIC.) — Utinam istam calliditatem hominibus dili ne *deditissent*! (CIC.) — O tantum *libeat* tecum tibi sordida rura atque humiles habitare casas! (VERG., Ecl., II, 28) — Ego si somnum capere possem, tam longis te epistolis non obtunderem; tu, si tibi eadem causa est, me remunerare *velim* (CIC., Att., VIII, 1) — Utinam ne Phormioni id suadere in mentem *incidisset*! (TAC.) — Ne vivam, si concedo ut eius rei tu cupidior sis quam ego sum! (CIC.) — Utinam liberorum nostrorum mores non ipsi *perderemus*! Mollis illa *educa* quam indulgentiam vocamus, nervos omnes et mentis et corporis frangit

(QUINT., I, 2) — *Utinam ut culpam, sic etiam suspicionem vitare potuisses!* (CIC.)

— Ita ut precamini, eveniat: huius amatoria poena in ipsum Antonium familiamque recidat! (CIC.) — *Utinam L. Caesar valeret; Serv. Sulpicius viveret!* (CIC.).

c) Coniunctivus concessivus concedit ut sit actio.

EXEMPLA: *Oderint*, dum metuant (SEN., Fr., I, 16) — Quid habet vita commodi? Quid non potius laboris? Sed *habeat* sane: habet certe tamen aut satietatem aut modum; neque me vixisse poenitet, quoniam ita vixi ut non frustra me natum existimem (CIC., Sen., 23) — *Sit fur, sit sacrilegus*, at est bonus imperator (CIC., Verr., II, 5, 1) — Caelum certe patet, ibimus illac: omnia possideat, non possidet aera Minos (Ov.) — *Sit hoc beneficium: in quo potes me dicere ingratum?* (CIC.) — Rhodienses superbos esse aiunt, id obiectantes, quod mihi et liberis meis minime dici velim. *Sint* sane superbi: quid ad nos attinet? Idne irascimini, si quis superbior est quam nos? (GELL., VII, 3) — Haec si vobis non probamus, *sint* falsa sane, invidirosa certe non sunt (CIC., Acad., II, 32) — Istam vocum concursionem magna ex parte ut vitiosam fugit Demosthenes. Sed Graeci *viderint*; nobis distrahere voces conceditur (CIC., Or., 45) — *Sint* sane liberales ex sociorum fortunis, misericordes in furibus aerarii: ne illi sanguinem nostrum largiantur (SALL.) — *Sint* Maeccenates: non deerunt, Flacce, Marones (HOR.) — *Affectio astrorum valeat*, si vis, ad quasdam res; ad omnes certe non vallebit — Naturam *expellas* furca, tamen usque recurret — Ne *sit* sane summum malum dolor, malum certe est.

d) Coniunctivus conditionalis, imperfecto aut plusquamperfecto coniunctivi significat actionem a conditione aperta aut occulta pendere.

EXEMPLA: Plura scriberem, si ipse possem (CIC., Att., VIII, 15) — Si semper


optima tenere possemus, haud sane consilio multum egeremus (CIC., Partit., 25)

— Si venisses ad exercitum, a tribunis militaribus *visus essem*; non es autem ab his visus; non es igitur profectus ad exercitum (CIC., Invent., I, 47) — Quis *essem* fructus in prosperis rebus, nisi haberet qui illis aequa ac tu ipse gauderet? (CIC., Am., 6) — Si longius mihi vitam producere liceret, non me alia causa ad diutius vivendum, quam publicae utilitatis studium curaque adduceret (CIC., Consol., 3) — Tibi inimicus cur *essem*? (CIC.) — Perturbationes animorum poteram ego morbos appellare, sed non *conveniret* ad omnia (CIC.) — *Velle* idem gloriari quod Cyrus (CIC.) — Plus voluptatis ex recordatione Pompeii orationis quam non modo ex mea, sed cuiusquam oratione capere possetis (CIC.) — Nemo a diis immortibus tot et tantas res *auderet* optare quot et quantas dii immortales ad Cn. Pompeium detulerunt (CIC.) — Si ita Verres posset defendere, tamen fides huic defensioni non *haberetur*. Si qui rex, si qua civitas exterarum gentium, si qua natio fecisset aliquid in civem Romanum eiusmodi, nonne publice *vindicaremus*? Non bello *persequeremur*? Possemus hanc iniuriam ignominiamque nominis Romani inultam impunitamque dimittere? (CIC., Verr., II, 5, 57) — Is miser *essem* qui in vitiosa et flagitiosa vita afflueret voluptatibus (CIC.) — Quod si humaniter mecum questus essem, libenter tibi me et facile purgassem (CIC.) — Si ad centesimum annum vixisset avus tuus, nec excursione, nec saltu, nec eminus hastis, nec cominus gladiis *uteretur*, sed consilio, ratione et sententia (CIC.).

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

Conscia mens recti famae mendacia ridet.
Cura quae tua sunt; alienis invide nunquam.



IN INSTAURATUM IMPERIUM

*Imperi primum modulata cantum,
iamdiu cessans, iterum modorum,
Musa, festina docilis Latinum
tangere plectrum.*

*Iure praeclarum facinus nepotum
Virgili grandi celebramus ore,
remque Romanam modo restitutam
carmine Flacci.*

*Ecce victrices Capitoli ab arce
praepeti notas aquilae volatu
Africæ fausto petiere rursus
omine terras.*

*Invidiae circum stupuere gentes
gesta prisorum renovata patrum,
dira nequidquam minitante nobis
damna Geneva.*

*Gaudet adversis animosa virtus,
fortium vires acuit periculum,
latior rebus quoque nostra fulsit
gloria in arctis.*

*Aera dant signum! Sonitu resultant
vertices, valles patulique campi,
littus apricum triplicisque ponti,
oppida et urbes.*

*Surgit extemplo generosa pubes,
virgines, matres, humiles, potentes,
concrepat clamor simul unus ingens:
— Adsumus omnes! —*

*Verba vocalis Ducis unda ad oras
extimas mundi per inane vectat:
diditi terris fremuere Etrusco
sanguine creti.*

*Protinus parent Patriae vocanti
arma poscentes Italae cohortes;
ardor his idem: per acuta belli
carpere laurum.*

*Alpibus canis Siculisque ab actis,
dissitis terris utriusque caeli
advolant fortis, humeros nigranti
tegmine amicti.*

*Iam moras rumpunt: ululant camini
classis aeratae; fremit agmen ingens,
littori appellit sipientis Afri
vomere et ense.*

*Impetum frustra Latiae protervus
Aethiops querit cohibere gentis,
et Genevenses male foederati
vociferantur.*

*Dux ait: — Recta gradiemur usque,
nescii flecti! — stetit et Latinum
dura ceu cautes resonante tunsa
aequore robur.*

*Advenit, cernit, ruit atque vincit
turma bellatrix: Ducas usque praesens
inter armorum sonitum necesque
urget imago.*

*Castra procedunt, simul et probrosae
decidunt tandem tribubus catenae,
queis, nefas!, illas pecudum gravavit
more tyrannus.*

*Dum nigras urgent Itali catervas
saltibus, lustris calidisque tesquis,
fortibus supplex bene comprecatur
Patria natis.*

*Publicae augendae pia sponsa gazae,
ferreo mutat rutilantis auri
annulum, pignus fidei iugalis
votaque fundit.*

*O dies cantu meliore digni,
qui decus nobis peperere tantum,
inclitis quaevis lyra rebus actis
deficit impar.*

*Vicimus cincti cruce et ense, fratres!
Vicimus! clamemus: — Io, triumphe!
Impotens irae, tua rode tabens
viscera, livor!.*

*Roma te mater merito, Badoli,
laurea plaudens redimit corona,
solvit et grates tibi, Gratiane,
fulmina belli.*

*Nox, dies longe superans coruscos,
quae super septem rediisse signum
imperi colles iterum fuisti
nuncia terris!*

*Te Deus iustus statuit futuram,
quo die sanxit Laterana in aede
pacta Dux, alma Cruce restituta
Urbis in arce.*

*O Petri sedes veneranda, salve,
Caesarum rursus chlamydata fasta;
iure te matrem, dominam caputque
dicimus orbis.*

*Omne nam durant tua fata in aevum,
nempe civilis dare iura vitae,
unico sacro sociare cunctas
foedere gentes.*

*I, triumphali redimita lauro!
Fascium fortis clipeata nexu,
te manent sceptro nova sub Sabaudo,
Roma, tropaea.*

CHORUS

*Abs temporum caligine,
O Roma, salve, provido
praedestinata Numine
dii ministra consili.*

*Confinis Afro littori
plagisque eois proxima,
cunctas amica copulas
stirpes in orbe dissitas.*

*Idcirco ab alta origine
frontem coronas laurea,
tuisque gentes legibus
invicta pergis subdere.*

*Nutu superno, Tibrii
appulsa Petri cymbula
arcana fata prodidit,
queis serviebas inscia.*

*Vallata septem collibus,
tantis onusta gloriis,
regina sidis inclita
orbis magistra et arbitra.*

*O Roma, salve, oracula
quae sacra promis gentibus,
arx nationum fulgida,
communis una patria!*

*Veri superni nuncia,
sceptro Sabaudo praestite,
priscis revincta fascibus
saeclo ruenti subveni.*

*Tibi favente, cingere
novis, Deo victoriis;
nil Sol queat circumvagus
Te maius usquam visere.*

Romae, die IX m. Maii a. MCMXXXVII, ab
instaurato Imperio I.

VICTORIUS GENOVESI, S. I.

DE FONTIBUS IURIS ITALICI LINEAMENTA HISTORICA¹

AETAS NOVISSIMA.

Aetas novissima aperitur foedere Aquisgranensi a. MDCCXLVIII, ex quo incipit in Europa et in America motus ad nationales status constituendos. Tum cuiusque nationis propriae magis magisque notae exprimuntur, simulque sensus libertatis, quos schola iuris naturalis alit foveat, nec quidem semper recte. Et quia in populo quolibet altissima vitae socialis expressio est in suo iure civili, ideo, aut, relicto romano, data opera est alacris nationali iuri condendo, aut ipsum ius commune emendari coepit est et novis rebus aptari, ut veluti nationale ius esset: illud in Gallia, hoc in Germania.

Motus autem huiusmodi alia eaque gravi causa non carebat. Quum enim, praeter ius commune, complura etiam locis singularia vigerent, satis ardua res erat ius certum de re certa dignoscere. Itaque, uti saeculo VI simili huic incommodo consuluit Iustinianus, ita nunc Rex quisque novis apparandis codicibus studet. Atque uti tum iurium corporibus lex citationum praecessit, ita nunc opinioni, quae erat ex doctrinum auctoritate, temperatum est datis legibus ne usurparentur in foro tum a iudicibus cum etiam a patronis. Curata interea sunt collecticia primum, ut solet, privata iuris vigentis, tum ex Iustinianis cum etiam e ceteris fontibus expunctis quae iam usui non essent: quibus successerunt serius codices authenticici, a Iustinianis procul distantes, tum ratione qua digesti sunt, tum etiam sua auctoritate. Sed de his postea.

Habentur ita tres veluti gradus, quorum in primo collectiones privatae exornantur, quae, licet e fontibus genus quoddam no-

¹ Cfr. fasc. sup.

vum effingant, fontes tamen nullimode auferunt, immo vero in toto suo relinquunt valore. In altero autem gradu magis acceditur novis codicibus condendis, qui, exeunte saec. XVIII, ius novum ita proponunt, ut vetus non abrogent plane, sed adhibeant saltem uti subsidiarium, relinquentes in viuore suo statuta locorum, consuetudines, decisiones magistratum, ius ipsum commune, privilegia complura. Demum ad codices novissime ventum est, qui sunt et generales et exclusivi, ea fere ratione qua Iustinianus suas promulgavit compilaciones in aeternum valituras, et vetans ne alio liceret uti fonte.

Germina novissimae aetatis habentur in superiore, in cultu illo humanistico, quem dicunt, ex quo plurimum defertur singulorum libertati, non in religione modo, sed et in vita politica. Quum Reges et Domini, ut sese tueantur, tyrannidem urgeant, contra eos populares urgent ius naturae, quod non a Principe, sed a Deo ipso procedit, ad quod vel Principes pareant necesse est. Nam omnis potestas a Deo est: quod vel Scholastici docuerunt cum doctrina catholica. At ex hac sapientissima doctrina catholica iuris naturae immediate a Deo manantis, et originis a Deo ipso potestatis cuiuslibet humanæ, assentatores Potentium deverterunt sensim, docentes potestatem Regis esse per se divinam, ut nulli teneatur reddere rationem, praeter Deum. Relicta est itaque etiam ecclesia, quae unica est iuris naturalis et divini interpres. Tum ius naturae solutum ab Ecclesia fingi coepit; purum ius naturae, praescione qualibet a Revelatione et ab ordine supernaturali; ius emergens ex ipso homine, rejecta inquisitione iuris cuiuslibet positivi: inde detrectatio iuris ipsius romanis et communis, quippe quod humanum, historicum, a natura pura alienum; inde eversio veteris ordinis in iure publico et privato; tum proclamatio iuris hominis; dum denique commotio Gallica ad has omnes vetustas res evertendas; inde demum, naturalis conclusio, Codices Napoleonici, quasi codices iuris naturalis, provocant; at spes «naturalistas» non parum fecerunt, quia leges Napoleonicae, si quid indulgent iuris naturalis novissimae scholae, tamen, praesertim in iure privato, romano et communi adhaerent.

Schola ideo iuris naturalis averterat animos a iure romano atque ab historia popularum, contendens nova iura eruenda esse ad corrigendas iniquitates iuris historici, cum primis iuris romani. Cui post Napoleonis occasum obstitit acerrime Schola historica Germanica, duce Savigny: duplex itaque in Germania agmen iurisperitorum dispergitum decertat: iuris naturalis, duce Thibaut; iuris historici, duce Savigny. Hic contendebat ius non esse quid abstractum ab indole popularum et ab eorumdem factis historicis, quorum sit veluti effectus. Praeter hoc naturale elementum, quod est humana natura una cum adjunctis historicis, expostulari etiam elementum quasi formale, scilicet leges successivis editae temporibus apud certum quemdam populum; has esse semper inquirendas ad cognoscendas leges posteriores. Denique requiri elementum quasi «technicum», quod est doctrina, ad quam et leges et mores popularum saepe aptantur, a qua utraque quasi praeformatur. Ideo abstinentendum esse a codicibus componendis, qui quasi vim inferant evolutioni iuris. Exarsit maxima lucta inter utrumque agmen; at, si quid opinamur, utrumque a vero aberrat: illud, quod ita a rerum adjunctis recedat, ut quasi in aera volitet, procul ab homine concreto; hoc autem quod nimis terris adhaereat, ut libertatem ipsam enervare aut plane auferre videatur in iuribus elaborandis, et hominum vitam nihil aliud esse censeat, quam eorumdem repetitionem actuum. Quamquam utrique concedendum aliiquid duco: illis quidem sanum ius naturae, tamen a Deo procedens; his vero momentum evo-

lutionis historicae populi cuiuslibet in ipsa iuris evolutione; quod velim ne excidat. Ceterum schola historica vix aut ne vix quidem quidquam influxit ad codices priorres apparandos; de quibus alias.

SYLVIA ROMANI.

DE QUORUM DAM MOROSO MUSICORUM INGENIO

Legentibus nobis res gestas per insignium musices cultorum facile occurrit aliquos ex iis, suo indulgentes genio, ridicula quedam suscepisse, quibus spectatores necessario ediderint cachinos. Celebrimus id genus habetur Ioachim Rossinius, italae musicae decus, hilari argutoque ingenio vir, qui illud Horatii *Carpe diem* adeo in usum deduxit, ut eius domus Parisis, quo, ineunte senectute, se receperat, laetum quodammodo hospitium dici posset. Eo enim praeclarissimi quique litteris, artibus, doctrinis viri non modo, verum etiam honoribus divitiisque pollentes quotidie vesperi certatim convenire solebant, quum ad Rossinianam adeundam moverentur habitationem tum excellentissimi musici fama, tum nugatoriis argutiis iucundisque facetiis.

Iamvero quidam homo longae curvaeque tubae inflanda, quae italice dicitur *trombone*, apprime peritus Ioachimum invitit, eumque vehementer est adprecatus, ut viam sibi strueret ad artem agendam, quo viveret, in quodam theatro, ubi musices et cantus quotidie edebantur spectacula. Cui Rossinius: — Bene est — inquit — hodie vesperi hic te exspectabo artis, qua polles, testimonium a te auditurus; tubam, sis, domi relinque, namque et ego habeo — hisque verbis illum dimisit.

Lepidus interea musicae doctor rotundum laganorum volumen carnis succo et

variis conditum aromatibus lentoque igne coctum, summa iniecit diligentia in curvam tubae partem, quae veluti floris calix praeter modum magni sensim patefit, summisque oris aliquantulum extenditur. Stata hora egregius buccinator Rossinii se contulit domum frequentium iam vocibus amicorum resonantem, atque musicum instrumentum ab arguto acceptum magistro tota animi contentione inflare coepit; sed praeter omnium expectationem sonus minime accipi potuit. Tum ille maiore impetu aera in tubam labii immisit, ambas buccas, et cum Horatio dicam, ridiculum in modum inflans, sed frustra: quo factum est, ut risum spectatores haud amplius potuerint tenere, eo magis, quod iis Ioachim de praeclari sonatoris spectaculo iam satis abunde praedicasset. Quare Rossinius benignitatem simulans, fractum buccinatoris animum suavibus erexit verbis, illumque est adhortatus, ut ab incepto minime desisteret: — Eia age — inquit — totis viribus, quae tua peritia est, tubam infla, et festivo iucundoque sonitu nostras permulce aures.

Itaque miser partim verecundia, partim indignatione, quam vix cohibere poterat, gelido manans sudore, instrumentum tanta vi suscepit inflandum, ut tandem laganorum involucrum vehementissimo aere impulsum foras erumperet, atque gravi idemque iniucundissimo sonitu, anatis clamori persimili, aula undique resonaret. Fateor hic me verba deficere, ut hanc scenam ob oculos lectorum ponam, quibus facilius, quam non ego describam, mente fingere licebit tum tubicinis stuporem animique perturbationem, tum effrenatam spectatorum laetitiam atque perstrepentes cachinos. Id unum tamen notandum superest, postero die ridiculum buccinatorem, quod sibi propositum habuerat, Rossinio favente, plene prefecteque fuisse consecutum.

Praeterea, ut alia id genus quamplurima brevitatis gratia omittam, accidit ut clarus

quidam musicae magister diem obiret supremum. Eius nepos, ut Euterpes alumnus haberetur, Missae hymnos et preces funebris vestivit concentibus ad patrui memoriam, ut is aiebat, iure merito recolendam, re ad plausum captandum et gloriam. Funebres cantus Rossinio exhibuit, enixe petens quid illi de musico opere videretur. Cui argutus magister, postquam scriptum ad trutinam tantisper revocavit: — Melius — inquit — fuisset profecto, si ad tui memoriam patruus tuus musicen conscripsisset.

Neque a praeclaro Pisaurensi musico argutiis facetiisque dissedit Paganinius, praestantissimus atque incomparabilis illius chordisoni instrumenti pulsator, cui italice nomen *violino*. Quum enim in quodam Italiae oppidulo rusticaretur, pluribus diebus continuis accidit ut horis a meridie, quibus vires aestu fractae quiete ac somno plenumque refici solent, organa pulsarentur a quodam vicino, qui id temporis ad musicas exercitationes accommodatius habere videretur. Grave fastidium aegre tulit Paganinius, qui par pari referre molesto musicō constituit. Quare intempsa nocte, magno amicorum agmine comitate, ad portam stabuli asinorum se contulit, quod humillimae domui modulatoris organorum subiacebat. Notandum summis stabuli foribus, uti mos est, bina fuisse rotunda foramina, quae spirabilis aer pervadere posset ad alendam pecudis vitam necessarius. Magna interea amicis erat exspectatio, quos lepidum Paganinii consilium plane lateret, quum praeclarissimus fidicen admirabili, qua pollebat, arte nervos percutiens, asellos rudentes quam perfectissime imitandos suscepit. E somno excitatae longis auribus bestiae, rataeque se a comitibus ad pabula invitari, identidem primum ac submissa voce respondere, deinde omnes simul toto pectore rudere, clamoribusque stabulum implere. Tum per insignis musicus incrementi sonitu asellos vehementissime excitavit, qui quum foribus impedirentur

quominus egredierentur, furiis exagitati horrendum in modum rudere, hac illac cursitare atque insanire cooperunt, ita ut aer undique strepitu resonaret, qui aures obtunderet. Experrectus insolito atque horrifico asinorum choro organorum pulsator, caput e fenestra exseruit, quumque animadvertisset asinos rudentes ex magico Paganinii instrumento excitari, asperis verbis praestantissimi fidicinis importunitatem coaguit. Cui contra Paganinius: — Iis diei horis, quibus, aestu vehementius ferente, quies ad somnum maxime exoptatur, tu quidem de organis pulsandis libenter delectaris; mihi vero tepenti noctis tempore musicos concentos una cum asellis edere pergratum est; « trahit sua quemque voluptas ». — Quae verba miros spectatoribus moverunt risus. Sensit tunc molestus vicinus se iniuria praeclarissimum fidicinem de fastidio obiurgasse, gravique affectus verecundia e spectatorum oculis extemplo se eripuit. At vero postea gravis organorum sonitus haud amplius Paganinio meridianum excussit somnum.

HERS.

LATINAE ADNOTATIUNCULAE

De perverso *quin consecutivi usu*.

Qui nunc Latine scribunt, saepe peccant in usu particulae *quin*. Recte dixeris: *Non veni Romam, quin te viserem* aut *Num quando veni Romam, quin te viserem?* Enuntiatio primaria est negativa aut saltem negandi vim continet in verborum contextu latenter; negativa est etiam enuntiatio secundaria, Ambae negationes tollunt invicem, ita ut ex periodo emanet sensus affirmativus: *Quandoque Romam venoram, visi te.* Perperam autem contra morem antiquorum scribunt recentiores scriptores, etiam in rebus grammaticis alio-

quin bene versati: *Veni Romam, quin te viserem*, pro: *Veni Romam neque (tamen) te visi*. Hac in periodi conformatio nione minime locus est particulae *quin*. Nihilominus in errores huius modi saepius incidi mus in Latinitate recentiore. Ad manum habeo *Compendium historiae ecclesiasticae*, quod ante dimidium fere saeculi scite concinnavit dr. Fr. Zeibert, canonicus eccl esiae cathedralis Brunensis in Moraviâ. Hoc opus emendato et perspicuo dicendi genere exaratum quinque per decennia usu terebatur candidatorum theologiae in Bohemiâ et Moraviâ.¹ Attamen passim aspersum est et ipsum macula, quam modo memoravi. Velut pag. 340 legimus: *Tali ratione concilium discessit, quin malis ecclesiae medelam afferret* (dicendum erat: discessit neque attulit); pag. 585: *Episcopis facultas data est seminaria erigendi, quin tamen regimen ad ea sustentanda obligaretur* (facultas data est... nec regimen obligatum est); pag. 598 in *aedibus Vaticana* usque ad *vitae finem remansit, quin unquam egredieretur* (remansit... neque egressus est).

Sed his exemplis acquiescamus! Alia eiusdem sunt generis. Quod autem magis mireris, similem in modum interdum etiam peccant philologi, qui grammaticae Latinae studium profitentur. Unde hic pravus scribendi modus initium cepit et quomodo tam late serpsit? Liceat meam de re proferre sententiam. Quondam in grammaticis scholiarum in usum scriptis fortasse non sat accurate exhibita fuerunt praecepta de *quin consecutivo eiusque usu*. Qua re factum est, ut discipuli, re non bene intellecta, vel inviti vitio assuefierent et in eo postea — nemine corrigente aut admonente — perseverarent. Ut huic perversae scribendi

¹ Nuper historia ecclesiastica in institutis theologicis totius reipublicae Bohemico-Sloveniae (sive Cechoslovacae) lingua vernacula tradi coepit. Quod sit ne sapienter novatum, dubito.

consuetudini obex ponatur, opus est, normae de *quin consecutivo* in grammaticis vel elementaribus clare ac perspicue explicentur et dissentibus inculcentur.

Fr. PALATA (Moravus).

COLLOQUIA LATINA¹

XXXIII

Ludus globulorum.

MICHAEL, FABIUS.

MICHAEL. — Heus, Fabi, unde tibi sacerulus tam plenus globulorum?

FABIUS. — Furatum me credis?

MICH. — Apage cum ista suspicione: non puto furatum. Emistine? An donati sunt tibi? An lucrando acquisivisti?

FAB. — Lucrando maiorem partem: reliquos emi.

MICH. — Quid si te pauperiorem conciliem?

FAB. — Quid si caelum ruat? Sed si quid audes...

MICH. — Libet ludere?

FAB. — Cur non libeat?

MICH. — Quo genere?

FAB. — Illo, per quod tu mox aut Croesus aut Irus fias: ille, si viceris; hic, si victus fueris, quod opto et spero. Vix tibi sunt viginti globuli.

MICH. — Fuit, quando tu trecentos non habebas. Age, dic, quo genere certabimus?

FAB. — Par impar volo, ita ut scrobiculum humi faciamus capacem unius pugni virilis, altum mediocriter. Inde ego certo intervallo distans, et subsidens de vola meos tuos simul in illum levi iactu

¹ Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Progymnasmata latinitatis* passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

coniciam. Sin incurrit in fossulam numerus par, omnes globuli erunt mei, qui que foris quique intus iacebunt: si impar, omnes erunt tui.

MICH. — Ast ego quoque iacere velim.

FAB. — Esto, sed tunc quando ero vinctus. Fac scrobiculum.

MICH. — Commoda cultrum.

FAB. — Franges, et magno stetit.

MICH. — Nequaquam. Est terra mollis et argilacea.

FAB. — Digitis everre frustula.

MICH. — Dictum ac factum; everri. His metit meta.

FAB. — Nimium distat.

MICH. — Quomodo nimium? Duobus passibus meis, et semis: est humus plana, sine lapidibus stratoriis, leniter acclivis, accommodata huic ludo. Si esset scrobiculus ad parietem, liceret iacere maiore vi. Quot vis dem tibi in manum?

FAB. — Si vis cito rem perdere, da multos.

MICH. — Duos dabo?

FAB. — Hoc nihil est. Vis me quatuor globulos iactare?

MICH. — Ego quatuor do.

FAB. — Iam hoc aliquid est. En octonarium sic collocatum, ut binarius binarium sequatur.

MICH. — Sta intra metam, ne digitum transversum, aut unguem latum excesseris.

FAB. — Siccine?

MICH. — Etiam. Sed iam nimis propendes contra scrobiculum.

FAB. — Non profecto.

MICH. — Immo. Esto iustus si me vis esse.

FAB. — Sum. En iacio. Quatuor sunt intus, numerus par.

MICH. — Exspecta, ne colligas: adhuc alii accurrit adversus scrobiculum. Hem, quintus incurrit... Mea est victoria. Iam tu mihi da numerum.

FAB. — Accipe sex.

MICH. — Placet. Prima victoria addidit

animos. Aspice: omnes inieci... Evax!

FAB. — Accipe rursus totidem.

MICH. — Accipio. Octo sunt intus. Io, io, tertia palma.

FAB. — Accipe rursus totidem.

MICH. — Ecce tibi rursus octo.

FAB. — Nolo amplius ludere.

MICH. — Quare?

FAB. — Tecum est felicitas.

MICH. — I, gloriare de tuis globulis. Fecine saccum tuum leviores?

FAB. — Et tibi aliis faciet.

MICH. — Tumebas ante.

FAB. — Et tu modo.

Ad sanitatem tuendam¹

DE LEGUMINIBUS

Calfacit et siccatur, retinetque cicercula easdem
Cum pisis vires, aequaque est utilis ad res,
Extumidos auget magis uda cicercula ventres,
Et stomachum calido dura minore gravat.

Est faba difficilis coctu, mala somnia gignit,
Inflat, alit, magis est noxia quando viret.
Uda prius, mox haec fit terrea, turgida semper
Est tamen, et poterit somnia ferre mala.
Fresa minus nocua est; crassos parit illa liquo-

[res;

Albentem, intactam gurgulione legas.
Hanc pipere et celeri poteram condire culina
Vendicat hanc vilis sed sibi rusticitas.

Lens oculis nocua est stomachumque adstringit
[et inflat,

Non bene concoquitur, somnia tetra facit.
Alvus ab igne levi lentis siccata tumescit,
Hordea si reddant, dic medice innocuam.
Illa melancholicos (nervis inimica et ocellis
Nec satis est) morbos, omnia dura movet.
Scilicet extollat pelusia munera Nilus,
Dulcia si addideris, toxica dira facis.

Utilis est iecori, stomacho splenique lupinus,
Enecat hic tineas, crassa alimenta parit.

¹ Praecepta CASTORIS DURANTE, Medici latinis verbis expressa. — Cfr. fasc. sup. mens. iunii.

*Si cor ardescit, rufus incultusque lupinus
Hic conviva tibi rustice durus est.
Lumbricus mors est, pleno iecori atque lieni,
Et praesentis opis renibus esse solet.
Gratia sit, natura, tibi: si villicus illum
Non colit, ipse sua est tutus amaritie.*

ANNALES

Hispanicae res.

Recedentibus, uti in superiore eventuum hac nostra recensione diximus, Italia et Germania a navalii inspectione Hispanici litoris ob aëreos Communistarum incursus, Anglia simul et Gallia sese interposuerunt, ut novae obligationes intercederent in navium ad inspectionem exhibitarum tutelam: statutum denique est ut bellans utraque pars fidem daret ne ipsas naves qualibet ratione in posterum aggredieretur, atque opportuuae vindictae adhiberentur si promissis non statum fuisse. Ecce vero, quum vix Germanica classis rediisset, subaqueae Communistarum lintres speculatoriorum Germanorum navigium Leipzig siluris offendere moliuntur. Exposcit inde Germania a consociatis nationibus communem in novam iniuriam actionem; ut saltem consociata classis, tum ad monitum tum ad potentiam ostentandam, ante Valentiae portum transvehatur: opponunt Gallia et Anglia certorem facti aestimationem; interponendae morae obsistunt Germani et Itali; frustra tamen; itaque ab inspectione navalii iterum naves suas hae reducunt, quum tamen a coetu de non interventu sese haud retrahant. Tum Gallia et Anglia declarant inspectiōnem integrā tibi sumere, renuentibus nunc etiam Germania et Italia, quippe quod necessariae aequalitati minime respondere id possit; oportere belligantur naturam utrique bellanti parti recognoscere; hanc rationem unicam exstare, per quam omnibus accipienda sint officia a gentium iure

nationibus neutri parti faventibus constituta. Quaestio agitanda committitur plenario Nationum conventui, ad diem IX proximi mensis iulii indictum.

Interim Hispanici « Nationalistae » Bilbao urbem capiunt, suumque progressum Santander versus producunt.

Civilium virorum conventus.

Conventus civilium virorum et iunio mense subsequuti sunt: Polonae reipublicae Praeses, Romaniae regem invisit; Germanorum exterorum negotiorum minister von Neurath Bulgarorum atque Hungarorum ministros; Hodza, Cecoslovachici gubernii Praeses, Bukarestini cum Romenorum administris colloquia habuit.

Russicae atrocitates.

Moscovica tyrannis nondum a sanguine recessit. His diebus ex optimis exercitus imperatoribus octo in occultae explorationis crimen vocati, sine iudicio capitis supplicio affecti sunt.

POPLICOLA.

FUNERA

A clarissimi Avenarii nostri nuperis litteris magno cum animi moerore accepimus, eius patrem supremum diem obiisse. Quum, spatio hodie deficiente, ipsas litteras vulgandas proximo numero tradere cogamus, morem vero nullam interponere possumus, quin dolorem nostrum amico dulcissimo amplissime declaremus, eumque — sociorum quoque ALMAE ROMAE omnium certi interpretes — certiorem faciamus, Christianas litationes animae desideratissimae vice nostra non defuturas.

I. F.

Dum hic ALMAE ROMAE numerus sub prelo est, die xx mens. iulii MCMXXXVII, electricae illae undae, quas eius ingenium prope divinum ab aëre rapuit et ad innumeram humani generis commoda convertit, per universum orbem infaustissimum nuncium diffundunt, **Gulielmum Marconi**, vix tertium supra sexagesimum annum agenter, repentina mortis vi esse sublatum.

Tanto nomini nullum par elogium; huius mortis nulla par comploratio! A. R.

VARIA

Urbem intestinis discordiis laborantem invadere atque occupare velle, dubium esse ac periculoso consilium.¹

Quum intestinis dissidiis Respublica laboraret, ob patrum cum plebe contentiones, Veientes ceterique Hetrusci oblatam sibi occasionem putabant opprimendi populi Romani, collectisque, quam maximas poterant, copiis, agros Romanorum excursionibus vastabant. Senatus itaque multis iniuriis opprobriisque laceratus, cum plebe in gratiam rediit, initaque concordia, adversus Veientes Cn. Manlium et M. Fabium imperatores delegit: qui, postquam ad eos cum exercitu appulissent, proelio commisso illos vicerunt frigeruntque. Quo loco decet observare, quam proclives esse soleamus ad errandum in rerum magnarum consultationibus arripiendisque occasionibus atque consiliis. Existimabant Veientes, si populum Romanum, intestinis dissidiis laborantem, invaderent, posse eum vinci atque deleri; sed hoc ipso con-

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

silio eius discordias sustulerunt, et infensos civium animos reconciliarunt. Neque id immerito sane, quod otium plerumque discordiis civilibus occasionem praebere soleat; belli metus concordes civium animos efficiat. Quod si prudentiores fuissent Veientes, a bello abstinuissent, et Rempublicam discordiis civilibus laborantem non armis, sed aliis artibus opprimere potuisserent. Modus autem, qui in huiusmodi casibus servari solet, talis est, ut te velut arbitrum interponas ad conciliandas discordias, et utrique parti favere te simules, donec ad arma perveniant. Quum ad arma ventum fuerit, parti quae debilior videtur lenta quaedam auxilia suppeditare, et ne discedant ab armis, sed magis magisque sese mutuo confiant, auxiliorum spe subinde fovere, magna auxilia neutri suppeditare, ne forte dolum subesse animadverterant. Haec res diligenter tractata ad propositum finem profecto te facile deducet. Nam fessae tandem partes arbitrio ac voluntiae sese committent.

Hisce artibus rediit in Florentinorum nostrorum potestatem civitas Pistola. Nam quum intestinis dissidiis laboraret, ut Florentini modo huic, modo illi parti favere viderentur, neutri tamen molestiam crearent, eo deduxerunt, exiguo temporis spatio, cives illos, ut pertaeserent tot discordiarum molestiarumque, sponte sese ambae partes in Florentinorum potestatem tradarent.

Senensem civitas nunquam Reipublicae formam mutavit ob intestina dissidia, nisi tunc quum lenta auxiliorum spe partes e Florentinis fovebantur; si quando firma auxilia in promptu esse cernebant, mox inita concordia urbem muniebant.

Unum adhuc adiiciam, et quidem evidentissimum exemplum. Philippus Vicecomes, Mediolani dux, Florentinorum Rempublicam intestinis dissidiis laborantem saepe bello petiti, sperabatque iisdem hisce discordiis civium posse eam a se opprimi;

sed nunquam illi res ex animi sententia successit: qua de causa quum saepe cum amicis conquereretur, dicere solebat, se ineptiis Florentinorum adductum eo, ut vingt centena millium aureorum nummum frustra expenderit.

Quae quum ita sint, sic existimare debemus, ut quemadmodum Veientes Hetruscique falsos esse videmus, eo quod Romanorum Rempublicam ab sese opprimi posse putabant ob intestina civium dissidia, ita ceteris evenire praenuntiemus, qui simili de causa opprimi aut Rempublicam aut populum quempiam posse sperant.

Pavo et Monedula.

Quum haberent comitia volucres regi creando, petit regnum Pavo, quod se ob formam eximiam illo dignum prae cunctis esse diceret. Qui quum omnium suffragia latus videretur: « Hic tamen rex — inquit Monedula — si forte sit factus et aquilam hostem habuerimus, quidnam opis auxiliique poterit adferre? ».

Monet fabula in principibus legendis non speciem modo, sed etiam virtutem et sapientiam spectari oportere.

Pro iudicibus mensarum elegan- tibus.

ESCARUM ORDO:

*Lixulae ex furfuricula.
Iecur vitulinum in pulpamen redactum.
Crustulae capparibus silvestribus conspersae.
Pullus assus cum solanulis tuberosis.
Sucus pruni armeniaci gelu concretus.*

locosa.

TUCCIOUS, pede in via offenso, quum pro cubuisse, medicum adit, qui eum interrogat:

- Ergo prolapsus es in via...
- Et magno afficiar in crure dolore.
- Ubinam vere? prope femur?
- Haudquaquam; prope meam domum.

TUCCIOUS in schola.

Postquam Magister longe lateque de quatuor caeli regionibus disputavit, ad Tuccium conversus:

— Eia igitur, Tucci: si ad meridiem ante solem te convertas, quid retro habebis?

TUCCIOUS sine cunctatione:

— Umbram!

Aenigmata.

I

Significare quo iuvenem per lustra vagantem et nati natum significare quo.

Scriptorem quoque Romanum quo significare, quem tecum iunxit rara, Catulle, fides.

II

Vocalem produc! Undas pulsare vides me.
Corripe! Nutrivit me lupa lacte suo.

FR. PALATA.

MONITUM

Quemadmodum diu assuevimus, fasciuli mens. Augusti et Septembris in unum colligentur, qui primis Septembris mensis diebus prodibit.

IMPRIMATUR: Fr. GABRIEL MONTI, O. E. S. A.,
Secret. Vic. Civ. Vat.
Dr. JOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

REGULUS

[18]

ACTIO DRAMATICA HENRICI JOSEPHI COLLIN

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

Ibi illum et adolescentem et virum et senem vitae pondere
Gravatum oportet amare atque amarier.
Quam laete, quam cito in hac suavi vicissitudine
Iter salebrosum huius amarae vitae labitur!
Bo. Omnes homines igitur similes sunt mercatoribus
Avaris, qui anxie mercem pro merce pensitant?
RE. Itast, ut dicis; sed tantum curarum est hic differitas.
Nam mercator avarus semper id unum cogitat
Atque aestumat minumo se vendere mercimonium,
Vir vero magnanimus minumo se praestinare pretio;
Nam sentit in animo non pro multis rebus solvier.
Unum exemplum narro, quo fortasse etiam tu designabere.
Parentum amori quis respondere potest? Quom essem puer,
Lubenter intuebar in matris oculos, qui gaudii
Mei maerorisque erant speculum; diu iam spectans denique
Cervicem amplexus et sum cordi palpitanti adplicitus.
Quis potest rependere pro illius diligentia?
Iam mortuast nec quidquam scit captivom esse filium.
Et meus pater, quid ille? Ah, qualis vir fuit!
Nam is virili quom stivam teneret robore,
Cadebat guttatim sudor; saepe ad me cum risu caput
Convortens: « Haec est, inquit, gnatorum hereditas;
Non parco valetudini ». Ex eius ore didici viros
Ab illo semper magnos et bonos existumarier.
Quom cognovissem animos pergratos esse civium,
Meum mihi pectus ardere iam bona coepit omnia
Animusque se cognoscere; sic exstitit Regulus.
Etiam nunc sic me interrogo, quid ad hoc dicat meus pater,
Quamquam iam pridem orcina nocte devoratus est.
Bo. Ne tu pol valde sentis, Regule. — RE. Magnitudinem
Patris mei Romanam divinumque matris animum
Soli ego Romae debeo, cui nam alii debeam?
A qua illi semper nutriti, foti, informati sunt.
Romani, gratia vobis! a vobis equidem nomen habeo,
Honestatem, laudem. Multum etiam spero de gnatis meis.
Viden, Bodostor, debitorem me esse? Nil queo
Peregrinis donare, quia primum meis debeo solvere.